

**05**

**A**

**1412**





IN NOMINE JESU  
DE SCHOLA CHRISTI

*Ex Evangelio Dom. 1. post Epiph. Luc. 2.*

PRAESIDE  
WILHELMO LYSERO D. & P. P

*Respondente*

M. JOHANNES POLTZIO Thermis - Ca-  
rolinis - Bohemo.

*12. Augusti Anno 1629.*

in Auditorio minori disputabitur,

WITEBERGÆ,

Typis JOHANNIS HAKEN.





Quadrige Literatorum splendidissima,

*Viris multum Reverendis, vera Pietatis, solida Eruditionis, nec  
non omnigenarum Virtutum Luce Clarissimis,*

Dn. M. ANDREÆ VVALTERO, Ecclesiæ ac  
Diœceseos Bornensis Pastori ac Superintendenti  
longè meritissimo.

Dn. M. PAULO MENIO S.S. Theologiæ Baccalaureo,  
Ecclesiæ Bischoffverdenensis Pastori, vicinarumq;  
Superintendenti dignissimo.

Dn. M. JOHANNI BACHMANNO, Poetæ  
Laur: Cæsareo, Ecclesiæ Lunæburgensis in illustri Abbatia  
ad D. Michaelen Pastori & Inspectori  
vigilantissimo.

Dn. M. DAVIDI LANGIO Ecclesiastæ Lunæburgensi  
ad D. Lambert, fidelissimo.

*Dominis Mæcenatibus, Favoribus ac Promotoribus  
suis summè colendis, non pro recepti moris saltem indicio,  
sed potius, grati animi Symbolo, haut fucata observantia  
et æmulatione, favorisq; & amoris paterni incitamento.*

Disputationem hanc

*Dicat, Offert, Consecrat,*

M. Johannes Poltzius  
Respondens.



05 A 1472



**D** Rimi à Deo creati parentes in Paradisum collocati fuerunt, qui hortus splendidissime ornatus fuerat undiq<sup>ue</sup>, arboribus visu jucundis, esu gratis; nil quod ad necessitatem, nil quod ad voluptatem faceret, deerat. Fons in medio Paradisi in omnes quatuor mundi plagas per quatuor fluvios sese effundebat, fecunditatem horto afferens, prout & flumina ipsa à fertilitate dicta fuerunt; inveniebatur insuper in illis aurū pretiosissimū, Bdellion, id est, Margarita splendidissime, Onyx hoc est omnis generis gemma. Præ arboribus verò reliquis duæ insignes erant in medio horti, arbor vitæ cujus esu vita continuanda sine molestia erat; arbor quoq<sup>ue</sup> scientiæ boni & mali, ex qua cognoscendum erat, num homo bonus malusve futurus; homo verò post lapsum in praxi quid malum sit hic expertus fuit.

II. Etsi verò primus homo concretam haberet Dei imaginem, cujus vel præcipua excellentia consistebat in sapientia & cognitione tum rerum divinarum, ut ex restauratione Col. 3. 10. tum naturalium, ut ex animalium & Evæ denominatione Gen. 2. liquet, Licet quoq<sup>ue</sup> hæc ipsa imago per generationem in posteriores propagata fuisset, nec tenebra ignorantia natæ diæ Deon & prævæ dispositionis, quæ jam infantibus sunt, deprehensæ fuissent; sed sapientia pro ratione ætatis sese subinde clarius manifestasset. Nihilominus tamen gradus scientiæ fuissent, & ignorantia natæ ἀπὸ φανερῆς negationis quarundam rerum locum habuisset.

III. In Evæ illud manifestum, quam tam accuratam noti-

tiam animalium non habuisse atq; Adamum ipsum, ex colloquio cum serpente constat, cui si ita Serpentis natura cognita ut Adamo fuisset, qui sapienter nomen cuiuslibet animali ex natura eius petendum imposuit, scivisset utiq; sermonis discursum serpenti non congruere. Pleriq; ergo Theologi rectè censent, Evam tanta externarum rerum notitia ut Adamum præditam non fuisse. Par ratio etiam quoad posteros Eva fuisset, ut rerum & naturalium & præternaturalium scientiam eo in gradu statim non habuissent, quo in gradu Adamus communis ut parens, ita & Doctor humani generis habuit: qui tamen ipse per experientiam in naturalibus & Dei revelationem in præternaturalibus progressus in scientia ut fecisset, ita & posteris suis communicasset, adeò ut Schola Paradisiaca apud arborem scientia boni & mali, loco ob nomen huic rei aptissimo, instituta fuisset: ubi Adamus præceptorem egisset, & omnium rerum creaturarum naturas, & Dei de arbore vetita præceptum, cum omnibus ad cultum ejus spectantibus proposuisset.

IV. At scholarum omniumq; boni hostis infensissimus Satan, dolose se in hanc ingessit scholam, & disputationem de sensu legis divinae cum Eva habuit, suisq; persuasionibus id tandem effecit, ut à litera discederet, & in hac cum Satana habita disputatione, non semper nec unice ad externum verbum per Adamum prædicatum respiceret, sed appetitu per externum visum excitato, per suggestionem verò diaboli decepto, ex interno suo proprio motu contra Dei verbum iudicium ferret. Sic ergo Sophistica Satanae in hanc Scholam illata, perquam eadem dissipata, & ex hac dissipatione peccatum atq; inde omne malum in hoc mundo ortum, ipseq; Adamus cum tota posteritate ex hac schola ejectus.

V. Restauratio ergo scholarum omnino necessaria, in quibus ipsis imago Paradisi quoq; restituitur, arbores & plantæ ipsæ sunt

*sunt scholastici; inter illos arbor vita invenitur, dum rectè vivendi ratio addiscitur; nec deest arbor scientiæ boni & mali, cum scientiæ in scholis doceantur, discrimen boni & mali monstratur, & à malo ad bonum pueri ducantur. Hic fons perutilis in omnes quatuor mundi plagas se effundens, ut ubi vis locorum idonei homines ex scholis petantur; hic aurum margaritæ & gemmæ hoc est in tribus Hierarchijs egregij viri inveniuntur; quæque plures scholarum utilitates infra recurrent. Meritò ergo agemus quoque*

## DE SCHOLA CHRISTI.

Supremus Scholarcha qui duodennis fuit in medio doctorum etiam nobis benigne ad sit.

### Ε Ε Η Γ Η Σ Ι Σ.

*VI. Dum Salvator noster Jesus, juxta nostrum Evangelium in Schola fuit scholam sanctificavit atque effecit, ut omninò digna esset materia, tractatio de scholis de qua & in Theologia ageretur. Minima enim & maximè contempta schola, longè preferenda est cœnobio etiam fulgentissimo: in schola enim Christus fuit, in cœnobio Papistico, vel quod illi simile, fuit nunquam: ex illa in omnes tres status magna redundat utilitas, in hoc inutilia saginantur terra pondera: illa ad gloriam Dei promovendam facit, hoc ad opprimendam. Admiranda verò illorum hodiè est impudentia, qui nisi in scholis informati fuissent, nihil omninò scirent, tam ingrati tamen existunt, ut scholas omnes rejiciant, novamque Spiritus Sancti scholam in suo cerebro confingant. Non ergo tantum convenienter & utiliter sed necessario de scholis in scholis disseritur.*

*VII. Schola verò Christi est cœtus docentium & discipulorum, præsentem Christo de re intelligibili differens ad Dei gloriam.*

## SCHOLA CHRISTI

VIII. Schola peculiarem appellationem non habent in co-  
*dice Hebraeo, res ipsa tamen in V.T. quoq. fuit: fuerunt enim*  
*48. civitates Levitarum, de quibus Num. 35. 2. seu Schola par-*  
*ticulares, apud sanctuarium verò Academia Rectore perpetuo*  
*summo Pontifice: quorum officium homines in lege Dei informa-*  
*re Lev. 10. Ez. 44. Mal. 2. Quod si doctrina aliquando in*  
*his ordinariis scholis depravabatur, quae corruptio in ipsam sta-*  
*tim serpebat Ecclesiam, Deus extraordinarias scholas propheti-*  
*cas aperuit, discipuli in illis dicebantur filij Prophetarum, de*  
*quibus passim legimus ut 2. Reg. 2. 3, 4. 25, 6. 1. 2. per hos puri-*  
*tatem à Prophetis restitutam Deus conservavit. In Chaldea*  
*Bibliorum versione scholarum diserta fit mentio ut Ps. 87. 2. Por-*  
*tæ Sionis juxta Targum sunt בית מדרש בית מדרש Portæ*  
*Scholarum seu domus inquisitionis aut informationis:*  
*idem legimus Ps. 84 8.*

IX. In N. T. vox *συναγωγή* a scholas adhibetur, & ea-  
rum varia & multiplex in scriptis Evangelistarum & Actis A-  
postolicis fit mentio; de quibus cum primis notandum, quod Chri-  
stus & Apostoli in illis docuerint, Matt. 4 9. 12. 13. Mar. 1. 3. 6.  
Luc. 4. 6. 13. Joh. 6. & c. 18. 20. expresse fatetur Christus se  
semper docuisse in Synagoga: id ipsum Apostoli etiam fece-  
runt Act. 9. 13. 18. 19. 22. 26. amicitiam quoq. coluit Christus  
cum centurione, qui scholam edificavit Luc. 17. cum scholarcha  
Jairo Mar. 5. Luc. 8. Cum verò etiam sit *συναγωγή* τῆς σατανᾶ  
schola Satanae Apoc. 2. 9, 3. 9. discriminis gratiâ nostram  
scholam, Christi Scholam appellamus, quia Christus qui hic in  
schola fuit, nostris etiam scholasticis præest conventibus Matt. 18.  
20. quia Christi in illis doctrina propagatur, quia ad Chri-  
stum pueri in scholis ducuntur.

EST.



X. Scholas Satanas extremo prosequitur odio, ex quo enim Paradisi acam turbavit scholam, longa haecenus experientia edoctus est quantum damni regnum ipsius per scholas patiat, hinc non tantum olim per Julianum Apostatam effecit, ut scholae Christianorum clauderentur, ut inscitia impediti Philosophis Ethnicis Christiani minus resistere possent, teste Sozomen. l. 5. c. 17. & Ruffin. l. 1. c. 32. Sed & nostro seculo idem tentat, dum per Veigelianos & alios fanaticos Nagelium, Rathmannum &c. in Scholas & in primis Academijs varijs convitijs debacchatur, scholas Satanae appellans. Vicissim vero novam Sp. S. excogitat scholam, qua ab ipso Deo homines doceantur. Satis clara enim sunt impia Weigelij verba p. 1. Post f. 96 Die hohen Schulen bleiben mit einander Feinde Gottes & p. 195. Ich sage warhafftige Wort/so war alsz ich ein Mensch bin/das Christus in keiner hohen Schul in der gantzen Welt gefunden werde. It. warumb schickt man den die arme unerschuldige Jugend an solche orter /da Christus der einige schatz weder gesehen/erfunden noch erkennen werden mag.

XI. Opponimus Weigelio & complicibus. 1. Scholarum necessitate Informatio juventutis non tantum in V. T. à Deo ipso mandata fuit, sed & in N. T. Eph. 6. 4. ubi parentibus mandatum liberos educare *ἐν κυριότητι καὶ ἐν φόβῳ κυρίου*: at quando parens hanc ad rem pedagogi auxilium adhibet, facit utiq; quod à Deo mandatum est: & si licet adultis habere *παιδαγωγὸς ἐν κυριότητι* I. Cor. 4. 15. cur pueris eosdem adhibere licitum non esset? 2. Scholarum utilitate, reliquas omittimus quas in totam Rempub. utilitates effundunt maximas, illam jam duntaxat attendimus, quam Ecclesia inde percipit: oportet ministros Ecclesiae esse *διδασκάλους* 1. Tim.

1 Tim. 3. 2. 2. Tim. 2. 24. ἐλεγκτικὸς Tit. 1. 9. ἐζητυιωὺς 2.  
 Tim. 2. 15 at tales in scholis formantur, cum nec à natura tales  
 sint, nec immediatè sine informatione tales jam fieri possint, Huc  
 pertinet quod Paulus Timotheum jubet lectioni attendere  
 1. Tim. 4. 13. & agnoscit laborem in doctrina 1. Tim. 5. 17.  
 3 Scholarum antiquitatem; Adam post lapsum præceptor fuit  
 teste Joseph. l. 1. Antiq. c. 2. Abraham docuit filios Gen. 18.  
 19. Christus cum primis suo exemplo Scholas hic fundavit : qua  
 de re infra.

XII. Solent quidem scholis opponere suos, quos putant, ἰ-  
 διδακτοὺς, qui in perfectorum tertia mentali Pentecostes  
 schola informati sint; Sed vel Magica sunt, qua hisce invo-  
 lucræ verborum tecta volunt, vel vana & falsa sunt, cum præ-  
 fertim illi ipsi, qui hæc proferunt, in Scholis nostris informati olim  
 fuerint. Dicta Es. 54. 13. Jer. 31. 34. Joh. 6. 45. Heb. 8. 11. non  
 sunt Schuvencfeldiano more causæ organice & ministeriali op-  
 ponenda. Sic enim Apostolus Paulus eodem tempore contra-  
 rium scripsisset & fecisset; informationis enim gratia scripsit;  
 verum loqui ut Sp. S. 1. de causâ principali, ad quam etiam mini-  
 strorum actio referenda 2. de uberiore gratia N. T. præ V. 3. de in-  
 choatione ejus rei, cujus complementum in altera vita expectan-  
 dum.

### COETUS DOCENTIUM ET DISCENTIUM

XIII. Synagoga sunt Schola dictæ ob congregationem, quod  
 in illis homines conveniant, si quis verò solus speculationibus suis  
 indulgeat, prout αὐτοδιδάκτοι qui reliquos omnes despiciunt fa-  
 cere solent, illud Scholam sine summa absurditate dicere nequis  
 VVeigelij ergò gelassene gelassenheit secundum quam o-  
 ptat p. 2. Post. p. 229. O möchte ich ein Klotz sein oder so  
 viel wirken als ein Klotz/nur eine halbe Stunde/ich  
 würde ein Prophet/ Insana de mentia est, non schola, nedū Spi-  
 ritus

ritus Sancti, dicenda. Videmus in Evangelio cœtum Scholasticum in templo congregatum fuisse: Apud templum enim fuisse scholas, siue conclavia inter alios usus ad docendum accommodata & à templo denominata, docti ex scripturis observant & probant; cum præsertim ex Act. 2. 9. 10. 6. 9. multas scholas Hierosolymis fuisse constet, atq; si Rabbinis credimus ultra quadringentas: In harum una Christus non ab hominibus segregatus, sed in medio inter plures sedens hic invenitur.

XIV. Nec tamen in hoc ipso cœtu confusio est, plurimorum sine ordine concurrentium; sed quia Deus ordinis auctor & fautor. 1. Cor. 14. 33. in scholis quoq; omnia ordine disponenda sunt; atq; adeo cum scholæ seminaria Ecclesiæ sint (unde non immerito in vicinia templorum erigi solent) ejusdem facies quadatenus in scholis quoq; invenitur: ut ergo in Ecclesia certus ordo est inter doctores & auditores: ita & in schola inter docentes & discipulos distinctio datur, qua collabente schola nulla est.

XV. Docentes expressè hic nominantur & διδασκαλοι dicuntur, in quorum medio Christus sedit: atq; hos Doctores Apostolus enumerat quoq; 1. Cor. 12. 28. & Pastoribus jungit Ephes. 4. 11. qui nempe in Scholis & Academiis docent, ac cum primis illos informant qui Ecclesiasticis muneribus præfici debent: tales videntur fuisse qui prophetis in Ecclesia Antiochena Act. 13. 1. junguntur, & in Schola Alexandrina fuit Pantenus, Origenes, Clemens. Huc referendi etiam videntur Catechetae, quorum Gal. 6. 6. fit mentio, quippe quorum officium fuit rudiores in verbo Dei informare. Valde interim affinia sibi invicem sunt munera docendi in schola & in Ecclesia mutuasq; sibi navant operas; ubi enim Catecheta in schola desinit, Pastor in Ecclesia incipit; & quem Doctor in Academia perficit, is legitimus minister fit in Ecclesia, unde & nomen Doctorum Pastoribus tribui potest. Id verò omnibus Doctoribus cum primis honorificum,

K

ficum,

figum, quod Christus ipse non tantum διδάσκαλον se nominare passus est, sed & jussit Matt. 26. 18. Luc. 22. 11. Joh. 13. 13. Doctor fuit, non tantum quatenus populum in concionibus docuit publice, sed & quatenus discipulos habuit Apostolos & LXX, quibus domi parabolas explicavit Matt. 13. 36. & seorsim assumptos de mysteriis divinis informavit Matt. 20. 17.

XVI, Videant ergo Doctores ut tantum titulum recte tueantur: ad quod requiritur 1. Donum doctrinae: ut nempe ipsi doctrinam solide sint imbuti, quam deinde professuri sunt: ignorantiam profiteri artem velle, praesumptionis vanissima est, quodque parum novit nemo docere potest; ὀλιγομαθεία Aetii haereticum eum fecit, historia Ecclesiastica attestante, id ipsum fanaticis nostris hodie evenit: de Christo aliud hic audimus, quod nempe omnium ejus cunctis stupori fuerit: quod Christus habuit miraculose, doctores acquirant studiosè. 2. Donum docendi, non sufficit ad doctorem doctum esse, sed requiritur quoque docere posse; huc referri potest, quod itidem de Christo dicitur, homines stupore factos super responsis ejus, respondendo enim sese maxime doctorem demonstravit. Requiritur hic Scientia non tantum artis; sed & modi, quo ea discipulis instillari potest: Potentia, ut nempe habeat facultatem assidue meditandi, & probe meditata perspicue proferendi: Benevolentia, sunt enim quidam invidi, qui putant opinioni eruditionis suae aliquid decessurum, si fideliter omnia communicaverint: Diligentia, sunt qui norunt & possunt docere, vellent quoque, nisi pigritia obstaret: Prudentia, cum primis in disciplina scholastica conservanda: Concordia; ubi enim discordia regnat, benedictio divina exulat: Honesta denique vita, vel non doceto, vel doceto moribus dicebat Nazianzenus, unde & Apostolus Rom. 2. 20. Judaicos doctores reprehendit, quod alios, seipos verò non doceant.

XVII, Discientes jure relationis ad docentes requiruntur

tur;

tur; doctor enim sine discipulo planè inutilis est, & malè in illum sumptus impenduntur: nec enim trunci & lapides, in quos se transformari supra optabat VVeigelius, informari queunt. Vt verò Doctorum ita & Discipulorum speculum in Christo habemus. Requiritur *in* Quia, ut ita delectus ingeniorum habeatur, & in scholas recipiantur cum primis qui sunt probæ originis, justæ dispositionis seu constitutionis, bonæq; indolis. Requiritur Præsentia in schola, ut Samuel ad Eli deducatur 1. Sam. 1. 26. imò ne noctu quidem longius ab eo discedat 1. Sam. 3 5. Requiritur Modestia & cum primis erga præceptores reverentia, qui vitiis & agrestibus moribus sunt præditi, de illis desperatum est: liberalis vero ingenij indicium sunt suaves & sedati mores: Christus sedebat proculdubio ad pedes primo, ut Paulus Act. 22. 3. in pavimento matta strato, ut refert hanc traditionem Synagoga Ambros. Comm. in 1. Cor. 14. 31. dein verò editis specimini- bus ad altiora & in medium doctorum promovebatur. Requiritur Obedientia, quam obaudientiam ab audiendo quidam di- ctam volunt, ut & Christum hic audientem habemus, audire enim & obedire proprium discipulorum est. Requiritur Dili- gentia, quæ ex questionibus Christi apparet: diligens enim di- scipulus non tantum audit sed & audita repetit & in illis se ex- ercet sicq; quæ audit & intelligit addiscit, quæ non intelligit qua- rit, ut addiscere intellecta possit. Requiritur deniq; Constantia, per triduum Christus in schola permansit: primus dies incipien- tium est, quando tantum audiunt, secundus proficientium, quando audiunt & interrogant, tertius perfectorum, quando examinati sufficienter respondent.

### PRÆSENTE CHRISTO.

XIIX. Paracelsus lib. 15. de morb. invisib. p. 183. & de  
occulta Philof. p. 289. magicas approbat scientias; quem disci-  
puli

puli ejus sequuntur, & diabolicas hæc artes splendido lucis nature titulo se insigniunt; & hæc ipsa videtur illa nova fanaticorum Schola esse, quam tantopere jactitant, cum ipse VVeigelius Theophrastum magnopere depradicit Postil p. 1. pag. 195. part. 2 p. 157. 166. ac reperiuntur hodie qui scientiam per Spiritus diabolares acquisitam defendere audent. At diabolicam hanc scholam meritò p̄ omnes averfantur, utpote legibus divinis Lev. 19. 31. 10. 6. Deut. 18. 10. & humanis l. ult. C. de maleficis, prohibitam: pacto Baptismali contrariam: in N. T. quoq; expressè in Simone Act. 8. 9. Elima. Act. 13. 8. libris curiosis Act. 9. 9. rejectam: periculosam deniq; imò summè damnosam, quid enim ab hoste Dei hominum, veritatis & omnis boni expectandum boni erit? Refertur de schola Diabolica, quam Bisestre habuit (arx destructa propè Lutetias Parisiorum est, à bisseis discipulis, si vera referunt, dicta) quod duodecimum discipulum rota dejectum anima & corpore magister abstulerit; anima periculum idem omnibus hujus scholæ discipulis, nisi seriam agant pœnitentiam, ad quam pervenire magister illorum facile non permittet, imminet.

XIX. Nostra schola, Christi schola est; Christi ergo presentia requiritur, ut qui olim visibiliter, jam invisibiliter in nostris sit scholis; non tantum presentia illa generali Act. 17. 28. sed specialis & gratiosa, ut benedictione sua & docentes & discipulos benedict. Quod ut fiat p̄ precibus in nomine ejus congregatio Scholastica instituatur; in tali enim synagoga vult esse ἐν μέσῳ αὐτῶν (congregatorum) Matt. 18. 20. qui hic fuit ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων Ab preces valde necessaria, ad felicem omnium rerum, Scholasticarum etiam, progressum. Christus ipse Apostolicam erigens Scholam in precibus per noctavit Mat. 5. Mar. 3. Luc. 6. 12. ut ergo fructus precum Christi in nostras quoq; redundet scholas, precibus ab eo id impetrandum: ad sacerdotale ejus mis-

nus negotia scholastica quoque pertinere, supra dictis demonstravit  
precibus; balsamus vero benedictionis à capite caelestis Aaronis per  
preces in nos derivatur Ps. 133. per preces Sp. S. impetratur Luc.  
11. 13. sine hoc sapientia stulta fit 1. Cor. 1. 20. Est hostis Schola-  
rum infensissimus Satanas, bellum apertum illis superius per sua or-  
gana indixit, orandus ergo supremus Scholarum Patronus, ut con-  
tra Satanae furorem nostras quoque tueri scholas dignetur.

## DE RE INTELLIGIBILI DISSERENS.

XX. Hoc age, Symbolum Scholarum est, à Praeceptoribus  
& discipulis probe observandum. Quid vero agendum & de re  
Intelligibili differendum. Objectum actionis scholasticae, dici-  
mus rem intelligibilem: quod ipsum propositum quoque fuit in  
schola, quam Christus per triduum frequentavit: siquidem in il-  
la id peractum fuit, ut Christus  $\sigma\upsilon\upsilon\epsilon\sigma\iota\upsilon$  demonstraverit.  $\Sigma\upsilon\upsilon\epsilon\sigma\iota\upsilon$   
juxta Arist. 1. 6. Nicom. c. 10. est acumen ingenii seu perspicua-  
citas de rebus rectè agendis & prudenter expediendis. De illis ergò  
in scholis agendum quae sunt utilia & in praxi salutaria: disci-  
pline vero instrumentales & speculativae, non sunt plane rejici-  
ende, ut Spiritus ille barbarus facit, exclamans *Werffet weg  
evore Kunst/evore Logicam, Metaphysicam, werdet nit  
vns zu Narren etc.* sunt enim & illae egregia *Deidona*, ex  
bono principio lucis Naturae orta & multis modis utilia. Nimia  
tamen scrupulositas in illis vitanda, praesertim in rebus quae nec  
scienti profunt, nec ignorantibus obsunt, multo magis curiositas in  
illis rebus, quae scire prohibita sunt, ut sunt futuri eventus contin-  
gentes & liberi, cum primis in actionibus humanis & divinis (sc-  
cut nonnulli extremum diem indagare conati sunt, contra Act.  
1. 7) ut ut in naturalibus & rebus ab influxu caelestium depen-  
dentibus aliquid admittamus. Vitanda quoque vel maxime con-  
fusio scientiae ex natura & revelata luce orta; ita ut vel ex verbo  
Dei Philosophia petatur (hujus gratia enim revelatum non est).

vel articuli fidei ex Philosophia examinentur. Deniq; quia οὐκ οὐκ  
etiam conscientiam notat, illa doctrina in scholis Christianorum,  
maximè urgeatur, quæ conscientiam informat atq; sedat, in qua  
proponuntur illa quæ patris cœlestis sunt; sitq; scholastica do-  
ctrina omnis medicinae instar, quæ non in nuda θεωρία, sed πράξι  
consistit.

XXI. De hisce rebus ergò in scholis differitur; differendi  
modus duplex, primus est per simplicem enarrationem,  
quando preceptor discipule artem tradit & proponit, discipulusq;  
ipse auditor tantum agit; hinc in schola Pythagorica per quin-  
quennium silentium præstandum, & preceptor tantum audien-  
dus fuit; talem auditorem Paulus egit, cum ad pedes Gamalielis  
de lege paterna informaretur Act. 22. 3. Atq; ita de Christo di-  
citur h. l. quod doctores audiverit. Duplex enim in populo Isra-  
el institutio puerorum fuit; generalis una, qua domi à pa-  
rentibus juxta Dei mandatum Ex. 12. 26. Deut. 4. 10. 6. 7. in-  
formabantur; & hac Christus ob Exinanitionem usus addidi-  
cit bonum eligere & malum reprobare Ef. 7. 15. inq; hac  
informatione subditus parentibus sapientia crescere de-  
prehensus fuit Luc. 2. 52. Specialis & scholastica altera de  
qua nos jam agimus, etsi verè ea Christus usus non fuit Mar. 6.  
2. Joh. 7. 15. ut omnes ex miraculoso docendi modo cœlestem esse  
ejus doctrinam deprehenderent; ad tempus tamen exiguum, hic  
ejusmodi informationi interesse voluit, non ut per illam in docen-  
di munere satis informaretur, per triduum enim id factum impossi-  
bile; sed ut informationem scholasticam suam hac præsentia appro-  
baret, miraculo corroboraret, & eidem benedictionem affer-  
ret.

XXII. Alter differendi modus est per dissertationem  
in querendo & respondendo consistens; utrumq; (nempe & qua-  
estio & responsio) Christo hic quoq; assignatur, Est hoc ipsum iti-  
dem



dem duplici modo, vel in Examinibus præceptore querente discipulo respondente, ut profectus ejus innotescat. Sic Christus tale examen instituit cum discipulis Matt. 16. & articulum de persona Christi in eo repetiit. Vel fit ejusmodi dissertatio in disputationibus, dum aut exercitii gratia discipulus quarit & obijcit, Magistro respondente, sicut Joh. 6. 6. 9. 2. Act. 15. 7. ut ita ingenium expoliatur, judiciumq; formetur, & ipse discipulus ad ἀπολογία de fide reddendam. 1. Pet. 3. 15. hæreticosq; refutandos paratior reddatur: aut serio adversariorum falsitas refutatur, veritas probatur.

XXIII. Valde huic disputationum exercitio novi nostri fanatici infensi sunt, nec sine causa, cum quæ ἀπαρδούτως ab illis proferuntur, hoc modo facillime refutentur, ideoq; asscribunt die disputis Kunst dem Leviathan; consentientes habent quosdam Politicos, ut Bodin. 1. 4. de Rep. c. 7. Sed necessitas veritatis defendendæ aliud flagitat, aliud praxis Ecclesie continuata monstrat Mar. 8. 11. dicitur quod συζητήσις fuerit Christo cum Phariseis, & Mar. 12. 28. cum Sadducæis, ubi argumentatus fuerat à nomine Dei ab Abrahamo cognominati. Ita mentio fit συζητήσις Stephani Act. 6. 9. Pauli cum Grecis Act. 9. 29. tribuitur ei διακατέλεγεσθαι Act. 18. 28. & διαλέγεσθαι Act. 19. 9. 20. 7. 9.

XXIV. Modum disputandi legitimum quod concernit, eum ex hoc ipso Evangelio demonstravimus olim, quod disputationes Theologicæ fieri debeant, 1. quoad efficientem in medio doctorum, ut hisce loquendi partes potissimum competant, 2. quoad materiam, de his quæ Patris cælestis sunt. 3. quoad formam, querendo & respondendo, ubi formæ Syllogistica usus à nobis non rejicitur; sufficit tamen ut potestate Syllogismus in probatione sit, nec omisus rebus de forma altercandum, aut hisce πωρέγυοις & Scotisticis dubietatibus plus temporis, quam divinis oraculis tribuendum; cum probatio non à nuda forma sed ab ipsa argumenti materia pendeat; hinc Christus Apostoli & primitivæ Ecclesie brevi quasiuncula & ipsis Scripturæ dictis causas suas evicerunt: Cavendum proin ne nostris argutijs & disputandi subtilitate fidem perfringa.

fringamus ut monet Naz. in laudem Hieronis. 4. quoad finem faciunt ad adifica-  
tionem domus patris caelestis, quae Ecclesia.

## AD DEI GLORIAM.

XXV. Hic scopus omnium actionum esse debet, in scholis quoque vel maxime. Quem scopum illi non attingunt, qui in Jesuitarum vel Calvinianorum scholas liberos suos mittunt, in illis enim cuncta directa sunt non ad Dei gloriam sed ignominiam: quantum etiam huic rei periculum subsit, & quam magna inde eveniant damna, tempus & spatium hic pertractare non permittunt. Christus schola exiens, dicebat se fuisse in ijs quae patris sunt; curemus ergo ut de nostris Scholis idem dici possit, & gloria patris caelestis in illis sedulo attendatur & promoveatur.

### ΠΡΑΞΙΣ.

XXVI. Faciant dicta ad summam consolationem: Christi praesentia Scholarum splendor praecipuus, Scholasticum egit Christus, qui militem ad se admisit quidem sed non egit. Idem Patronus opt. max. Scholarum est. Insurgat ergo in nostram etiam Scholam Satan & agmina sua sive per fraudulentiam sive per violentiam in eam immitat, nibili facimus: Christus enim hic scholae fundamentum seipsum posuit, quod Satanas evertere poterit nunquam: Excitat idem Patronos etiam alios & suppeditat pios Magistratus, qui Centurionis Capernaitici Luc. 7. Constantini M. Caroli M. vestigia legant & violentos Scholarum hostes repellant. Christus hic ut Sol in schola lucet, qui luce veritatis errores discutit, luce gratiae fructificationem largitur, luce gloriae aliquando praecipuos ornabit Dan. 12.3.

XXVII. Faciant ad seriam adhortationem, ut omnes ad Scholarum bonum promovendum accurrant. At quantum in Scholarum bona constitutione situm! In illis ceu in hortis frutices educantur, qui deum arbores in Paradiso Ecclesia fructum ferant: in illis ceu in officinis ligna dedolantur, ut dein cum utilitate in curia adhiberi possint: in illis ceu in seminariis & vivariis educantur pueri, quibus civitates & omnia bonis viris adimpleantur. Ex scholis prodeunt Theologi, qui in Ecclesia salutem animae curant, prodeunt JCTI, qui in Repub. salutem omnium gubernant, prodeunt Medici, qui privatorum salutem & sanitatem conservant, prodeunt Philosophi, qui juventutem in scholis iterum informant. Sine Scholis errores in Ecclesia diffeminantur, iniquitas & Tyrannis in curia crescit, barbaries omnium domos confundit. Sint ergo omnes admoniti ut pro virili scholas curent.

XXIX. Faciant denique ad severam dehortationem: vulgo dici solet ars non habet oforem nisi ignorantem; ignorantes vero multi, multi & Scholarum ofores. Sed sciant illi omnes Christi scholam esse quam turbant, illi ergo injuriam quae nobis fit, committimus, qui & severe vindicabit. Et certe metuendum, ne tantum, qui jam viget, Scholarum contemptum Turcica sequatur barbaries; quod Jesulus summus scholarcha benigne avertat, a quo Scholarum incola atque fautores expectent, hic benedictionem, in extremo die laudem, premium aeternum in aeternitate.

05 A 1412

ULB Halle

3

003 781 95X




VD 12

01







IN NOMINE JESU  
**DE SCHOLA CHRISTI**

*Ex Evangelio Dom. 1. post Epiph. Luc. 2.*

PRAESIDE

**WILHELMO LYSERO D. & P. P**

*Respondente*

**M. JOHANNES POLTZIO** Thermis - Ca-  
rolinis - Bohemo,

*12. Augusti Anno 1629.*

in Auditorio minori disputabitur,

*WITEBERGÆ,*

Typis JOHANNIS HAKEN.

